

1

2

29

30

31

32

33

EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM
VTRVM IN FEVDO
FRANCO FOEMINAE
SVCCEDANT.
CONTINENS

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESEDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIA
IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE NEC NON FACVLT. IVRID.

SENIORE ET ACADEM. DECEMV.
IN AUDITORIO ICTORVM
A. D. XXVI. IVNII MDCCCLXXIX.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

GVSTAVVS ERNEST. GVILIEL. KOETZSCHKY

WVRZENA, MISON.

LIPSIAE
EX OFFICINA LOEPERIA

EXERCITATIO IACOBIA

CAESTONIEN

EXERCITATIO IACOBIA

I R A N C O T O L M I N A

S U C C E S S A N T

E X E R C I T A T I O N E

EXERCITATIO IACOBIA

EXERCITATIO IACOBIA

D I T R I B U C O L L E T T O N O F F I R O

C O D E C T O R I U M C A T A L O G U M C A T A L O G U M

I R A N C O T O L M I N A

A U G U S T I N U M D I V I X X . P A

EXERCITATIO IACOBIA

C O D E C T O R I U M C A T A L O G U M C A T A L O G U M

EXERCITATIO IACOBIA

C O D E C T O R I U M C A T A L O G U M C A T A L O G U M



§. I.



In multis iuris nostri articulis deterior est conditio seminarum quam masculorum: sunt ipsa verba legis 9. ff. de statu hom. Interdum tamen illis, vel ob naturae suae fragilitatem, vel ob partus periculum, varia sunt indulta priuilegia, adeo ut v. c. in intercessionibus, in materia dotis, item ratione poenarum et aliarum rerum feminae sint melioris conditionis quam masculi. In reliquis, vbi singulare quid non reperitur constitutum, par est vtriusque sexus conditio, vti patet ex l. 4. Cod. de lib. praet, vel exhered. Iure enim et si de regula instituimus quaestionem, masculorum pariter, quam seminarum iura sunt paria, hinc recte dicit Paulus l. 1. ff. de Verb. signif. „Verbum si quis, tam masculos, quam feminas complectitur.“ Exinde apparet, diuersitatem iurium, quae sexui feminino vel masculino competunt,

IV

tunt, vnicē dependere ex voluntate legislatoris, et frustaneus est labor eorum, qui priuilegia certo includere numero volunt.

§. II.

Inter easus, in quibus seminarum deterior est conditio quam masculorum, in primis numeranda mihi videtur successio in feudo, a qua feminae plerumque remouentur. Dixi, *plerumque*, nam extant nonnullae exemptiones, vbi feminis relata est successio, ut in feudis femineis et aliis. Cum autem harum exceptionum multae graibus disputationibus sint obnoxiae, inter quas facile primum locum meretur successio seminarum in feudo franco; pauca de ea re differere iuuat.

§. III.

Diuersa equidem circa vocabulum *francum* DD. est opinio. Alii ab attica lingua, qua *francum* fortet et nobilem significare volunt, deducunt, alii Franco Duci cuiam hoc tribuendum esse demonstrant, nonnulli ex adverso a libertate omnibus inaequabilis, denominatum credunt. Et quamuis nobis non negandum sit, veritatem adhuc esse in incerto, et sententias quae huc referre solent DD. niti conjecturis, posteriori tamen opinioni, quae naturae rei proprius accedit, adscribendum esse existimamus. Frey enim sive Fry liberum est, vnde vocabulum *Francum* originem traxit a vocabulo *Franc*, quod idem est ac *liberum et immune*, vnde et *Franci* vocantur *liberi* cf. Hotoman. in *Franc. Gall. cap. 5.* Pefold *Thebaur. Prad. sive vocab. Frey. Franken et Borcholt. de fendo. C. IV. n. 20.* Et in hunc usque diem manet vulgare apud Germanos vocabulum, *die freyen Franken* h. e. *Franci liberi, servitutis expertes, non a ma-*

a magnitudine aut praerogativa priuilegiorum ac immunitatum, vt vulgo existimatur, sed a veteris illius in libertatem a Romano iugo vindicationis memoria sic dicti vid. Cluver. Germ. antiqu. Cap. XXIX. §. 1. et. 4. Ex eo autem, quod vocabulum Francum sit Germanicae originis, facile potest deduci, hoc nomen apud Longobardos suis se ignotum cf. Sonsbek ad vsum Feudal. p. 3. num. 25. et Curti de Feudis p. 1. qu. 8. num. 27. Res ipsa tamen ab analogia iuris feudalis non recedit sed potius in iure Longobardico approbata videtur, vt e. g. apparat ex II. F. 104. „cum feudum sic datum est, vt nullum pro eo seruitum fiat.“ Caeterum feuda franca dicuntur interdum feuda honorata, Ehrenlebne, conf. Eyben Ele&t. Feud. c. 13. §. 9.

§. IV.

Est vero feendum francum nihil aliud quam feendum impropprium ita constitutum, vt vasallus ab omnibus seruitiis sit immunis. Caeu tamen ne intelligas alia scrutia, quam quae ad naturam feudi spectant, a fidei enim obligatione liber neuriquam est talis vasallus, quippe quae ad essentialia feudi pertinent, sine qua feendum non potest consistere, quamvis iuramentum fidelitatis vasallo expresse remitti possit, hoc enim II. F. 3. spectat ad naturalia feudi, quae quidem praesumuntur, sed per pactum inter dominum et vasallum initum, tolli vel immutari queunt. I. Feud. 14. §. 2. et II. F. 2. §. praeterea. A feudis francis vero distincta sunt feuda iuris Francorum, sive in quibus successio sit secundum mores Francorum. cf. Rheiuss ad ius feud. I. p. 122. n. 8. In his primogenitum saltem admitti volunt, ita tamen, vt nec feminae excludantur. vid. Horn. Jurispr. c. XXVI. §. 8. (licet haec opinio DD. non omnibus numeris miliu absoluta videtur, cum haec feuda a feudis

francis differant, et id quod singulare contingit in uno feudo, ad alterum applicationem non admittat.). Ideoque opponebantur feudis iuris Longobardici, vbi primogenitura non attenditur. cf. Struv. iurispr. feud. C. V. §. 9.

§. V.

Vt vero feudum vere dicatur francum, requiritur primo, vt immunitas a seruitiorum praestatione expresse sit concessa; quod etiam tunc factum censeatur, si dominus directus se feudum francum aut liberum dare dixerit. Fieri regulariter solet haec remissio in literis inuestiturae, formula: *Wir bekennen, daß wir unsern lieben Getreuen dieses Lehn-Guth frey und zu rechten Mann-Lehn-Guite mit Befreyung aller Dienste gnädigst gerichtet etc.* Exinde oritur quaestio, vtrum feudum dici possit francum, si seruitiorum in inuestitura nulla facta est mentio. Dubium forsitan mouetur, quod voluntatem nostram vel expresse, vel tacite per facta liquida declaremus, et cum ex analogia iuris taciti eadem sit vis ac expressi, valde probabilis videtur opinio, dominum directum, qui seruitiorum, quae de iure a vasallo exigere poterat, non fecit mentionem, eadem ipsi ex gratia remisisse, eundemque hac ex parte liberum esse. Sed contraria sententia verior videtur; conuenit enim analogiae iuris. Ad naturalia nempe feudi pertinet seruitiorum praestatio; vti in omnibus contractibus naturalia, nisi ab iis per pactum recesserint contrahentes, inesse praesumuntur, ita etiam qualitates feudi, quas ad naturalia refero, iuris auctoritate feudo constituto ita insunt et cohaerent, vt siue exprimantur siue omittantur, subintelligantur tamen tacite, et feudum comitentur. vid. I. F. 7. II. F. 50. arg. I. II. §. 1. ff. de act. emt. vend. Hinc teste Horn. Iurispr. feud. c. XXVI. §. 16. licet in Franconia Orientali mul-

*multa feuda franca dentur, ipsorumque tractuum incolae
die freyeu Franken vulgo dici soleant, non tamen omnia
feuda, quae ibi inueniuntur statim pro liberis a seruitiis
haberi possunt, nisi in inuestituris id expressum.*

§. VI.

Secundum requisitum feudi franci, id est, ut vasallus
ab omnibus seruitiis dicatur immunis. Quodsi enim va-
sallus certa quedam seruitia tantum sint remissa, vel certa
seruitia restrictionis causa expressa, vel loco seruitiorum, cer-
cus sensus, aut pensio quotannis, praestamus non est feudum
francum, quamvis in literis inuestiturae tale dicatur, sit enim
illud tantum abusive nec tam ex verbis, quam ex re ipsa
iudicium fieri debet, hinc inde existunt, *Sattelfreye Güter,*
Sessleben, et feuda censualia seu pensionalia. Hoc ex
causa *Schneidewinus P. I. n. 54. p. 16.* refert clausulam hoc
spectantem: *und dürfen uns davon keine Dienste leisten,
wie denn ihre Elte in davon unsern Vorfahren auch keine
Dienste gethan noch geleistet haben.*

§. VII.

Postquam iam et originem atque notionem feudi
franci eiusque a feudo iuris Francorum discrimine expo-
sui; nunc ad rem ipsam pergam et quaerum: an feminae
in feudo franco succedere liceat nec ne? Qua quidem in
re duas esse DD. diuersas sententias reperio. Alii enim,
vt Zasius, Dionysius Gothofredus, Schraderus, Ioh.
Borcholten, Ioseph de Klinglin, Ioh. Erider. Fugman-
nus etc. negant successionem feminarum in feudo franco.
Alii vero, vt Herm. Vulteius, Georg. Adam Struius,
Hartm. Pistoris, Samuel Styckius, Burcad. Gotth. Stru-
vius, Bened. Carpzouius, Caspar. Henr. Hornius, Christ.
Fri-

VIII

Frider. Schmidius et alii eam affirmant. Inter illos imprimis est Ioh. Borcholten qui in *comment. in consuetud. feud. Cap. VII. n. 68.* relatis antea quorundam eorum DD. opinionibus, feminis ius succedendi in feudo franco tribuunt, his vtitur verbis: *Caeterum contrariam sententiam quod femina in feudo franco non possit succedere Laudens defendit in d. c. vni §. quia vidimus, num. 29. de his, qui feud. dare poss. Iacobi de feud. super verbis et feminis, n. 5. Duaren. de feud. c. 10. n. 7. Francisc. Curtius in 3. parte tract. feud. n. 5.* Et haec contraria sententia de iure verior videtur. Nusquam enim proditum est in libris nostris, quod in feudo franco mulieres succedant. Et licet Vasallus qui feudum francum tenet, ad seruitia praestanda non sit obstrictus, tamen ad multa alia domino suo obligatus est, quae iuramento fidelitatis continentur, quaeque a muliere praestari non possunt. Quinimo mulier non tantum propter seruitia militaria, quae exhibere nequit, a successione feudi repellitur, sed etiam ob alias causas, quemadmodum expositum fit *c. 1. supr.*, et satis notum est, quod una causa prohibitionis cessante non propterea celset tota prohibitio §. *affinitatis cum similibus, Instit. de nupt.* Denique ex regula iam saepius tradita, feudum in uno aliquo capitale alteratum, in aliis capitibus non alteratis propriam suam naturam retinet, hanc posteriorem sententiam de iure veriore esse affirmare possumus etc.

§. VIII.

Quorum argumentorum unicum singulatum respondemus. In quibus autem primo loco hoc est: nullum exemplum successionis feminae in feudum francum unquam a DD. afferri potuisse. Quod mihi idem videtur ac si dixisset; nec vidi neque audiui neque etiam legi

legi vnquam, aliquem ob adulterium apud nos capite esse plexum, ergo non datur lex, quae adulteris talem poenam iniungit. Nemo facile erit, cui huius argumenti fragilitas non statim est perspicua, itaque hoc argumentum mittam, et me potius ad aliud conuertam. Est vero hoc: Etsi vasallus qui feudum francum tenet ad seruitia praestanda non est obstrictus, tamen ad multa alia domino suo obligatus est, quae iuramento fidelitatis continentur et quae a femina praestari non possunt. Ait, quae sunt quaeso haec multa alia? Autor huius argumenti ne quidem unum eorum commemorat et mihi nullum plane adesse videtur, quod commode a femina non praestari possit. Cum itaque hoc argumentum sit nimis generale, atque vagum ea que de causa distinctam refutationem plane respuit; relatio hoc etiam arguento me statim ad aliud reiiciendum accingam.

§. IX.

Quod quidem huius est tenoris: Feudum in uno aliquo capite alteratum, in aliis capitibus non alteratis propriam suam naturam retinet. Si vero in rationem, cur feminis successio feudal is denegetur, inquiram, apparet, potissimum adaequatam atque in iure feudali expresam hanc esse, quod idoneae ad militiam non sint et seruire nequeant. II. F. 36. Cessante itaque in feudo franco hac ratione, ipsa etiam cessabit dispositio, feminas a successione excludens. Imo dominus ipse, dum seruitia remisit, atque sic impedimentum, quod feminis oberat, e medio sustulit, hasce ad successionem tacite admisisse censetur, ad quam et expresse sexum sequiorem vocare potuisset. II. F. 23. Accedit II. F. 104. vbi successio seminarum in feudo perspicue traditur. Sunt vero verba legis haec: Si cui mili-

B

ti

ti ad certum seruitium feudum fuerit datum, isque relicta ex se descendente femina, decesserit, quae id seruitium iuxta feudi conditionem non minus decenter praestare possit, quam masculus, et si in uestitura minime cautum sit, ut et feminæ ad id aspirare valeant, eam tamen admitti rectum putamus. Quinimo hoc casu simul cum masculo in feudo eam succedere quidam putant, quod multo magis dignum obseruantia existimamus, cum feudum sic datum est, ut nullum pro eo seruitium fiat ut pleraque hodie feuda dantur. Scimus quidem, hoc capitulum esse ex eorum classe, quae vulgo *Extraordinaria* vocantur et quae *Antonius Mericuus*, quoniā eorum auctoritas suo iam tempore dubia esset *Extrauagantes* vocavit. *Maurit.*
Dec. I. Coniou. Feud. pos vlt. Sed hoc non obstat arbitror, quo minus hoc in causâ allegari possit. Etsi enim haecce capitula quando ordinariis directo contrariantur, parum vel nihil ponderis habent, testimonium tamen illorum, si vel ad explicationem iuris feudalis faciunt, vel causam proponunt alibi non decisum neutquam est reiciendum. *H. Piss. l. 2. qu. 13. n. 89. et l. 2. qu. 34. n. 33. Stryck Synt. Sax. Iur. Feud. c. 1. apb. 7. n. 10. cf. præterea Hornii Diff. de feudo franco cap. 26. et Herm. *Vulreus de feudis lib. I. cap. 9. n. 41. Carpz. iurispr. for. Rom. Sax. P. III. C. XXIX. def. 12. etc.**

§. X.

Placet tamen hac in parte ut obseruemus distinctiōnem vtrum vasellus masculos et feminas, vel eos solas relinquat. Sin hoc contingat nullum dubium occurrit eas statim esse admittendas ad successionem, in illo vero filii præferuntur et filiae tantum deficientibus masculis ad successionem vocandas esse censeo. Cuius rei ratio potissimum

mum in conseruatione familiarum nobisium consistit, cui successio seminarum, quamdua supersunt masculi, valde aduersatur. Conuenit etiam hoc dispositioni iuris feudalis, secundum quod feminae feudorum regulariter sunt incapaces et quamvis illis simul cum masculis expresse largiatur successio, solummodo deficientibus, masculis in subsidium admittantur.

§. XI.

Caeterum quia reliqui, qui stant a partibus dissidenti-entium, iisdem fere argumentis ac Borcholten vii sunt, eos hoc loco recensere ac repellere plane supersedere posse arbitror. Praesertim cum sententia illorum, qui successio-nem feminae in feudo franco affirmant, talibus argumentis est munita quae plane destrui nequeunt.

§. XII.

Obuenit hac occasione quaestio, utrum Vasallus Francus domino egeno alimenta ut suppeditet, adigi queat. Sunt multi, qui id prorsus negant, et rationem in eo ponant, quod alimenta loco seruitiorum comprehendantur, et cum vasallus in feudo franco a praestatione seruitiorum sit immunis, exinde concludunt, iure perfecto ad alimenta egeno domino suppeditanda, vasallum minime cogi posse, sed referendum hoc esse ad officia humanitatis, quae solius vasalli arbitrio relinquuntur. Sed argumenta quo probare causam vulneratam volunt, satis incongrua mihi videntur. Quomodo enim, et ex qua lege defendere possunt, alimenta sub praestatione seruitiorum comprehendi? potius hoc quod affirmant est petitio principii, ex qua vera et adaequata conclusio minime fit. Contrarium expressis verbis docet ius Feudale Longobardicum II. F. 6.

B 2

Dum

Dum enim in eo loco de iuramento fidelitatis agitur feudi-
sta praescribit, vasallum qui iuramentum fidelitatis praef-
stat, semper sex in memoria haberi debere; incolume,
tutum, honestum, vtile, facile et possibile. Et cum illorum
fusceperit interpretationem, ad primum refert, ne sit
in damno domino suo de corpore suo. Ast quomodo
quaeso corpus incolume esse poterit, si domino fame sit
pereundum. Cum igitur vasallus qui a seruitiis praestandis
ex gratia Domini est immunis, a fidelitate, quae ad sub-
stantiam feudi requiritur non liberetur, multo minus re-
missio seruitiorum inuoluat remissionem fidei, nullum sane
est dubium, quin alimentorum, praestationem Dominus
egenus a Vafallo iure perfecto petere queat.



Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle
005 433 703

3



Farbkarte #13



337
20

EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM
VTRVM IN FEVDO
FRANCO FOEMINAE
SVCCEDANT.
C O N T I N E N S

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO
COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAЕ
IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE NEC NON FACVLT. IVRID.
SENJORE ET ACADEM. DECEMV.
I N A V D I T O R I O I C T O R V M
A. D. XXVI. IVNII MDCCCLXXIX.
PVBLINE DEFENDET
A V C T O R
GVSTAVVS ERNEST. GVILIEL. KOETZSCHKY
WVRZENA MISN.

LIPSIAE
E X O F F I C I N A L O E P E R I A